



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima sensus suos vires[ue] excitet omnes ad
contemplationem amoremq[ue] cælestis sponsi. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

quam desiderabiliter oriamini sic negotiantes. Requiescitis o felices in gaudio, gaudetis in requie, gloriamini in satietate, satiamini in gloria. Bibitis de torrente voluptuosissimi fontis illius, ad quem animae nostrae sitiuerunt. Bibitis quantum vultis, quomodo vultis, quamdiu vultis. Semper satiati, semper bibitis: quia ipsa satietas delectationem parit, delectatio desiderium accendit: fruuntur desiderio, dum iucunditas & exultatio thesaurizantur super vos, dum repletur in bonis desiderium vestrum, & renouatur sicut aquilae iuuentus vestra, in splendore solis iustitiae, & in fonte voluptatis aeternae, id est, purissimo & dulcissimo Christo Iesu.

Vti amans anima sensus suos viresq; excitet omnes ad contemplationem amoremque caelestis sponsi.

CAPVT. XV.

Nunc iam tempus est, omnes animae vires in vnum colligere, & quantum ipse dederit, exire obuiam sponso ipsi, & regem in decore suo videre, qui iam per decorem creaturarum suarum innotuit aliquantum.

Accede ergo ad hunc o anima mea, qui habitat lucem inaccessibilem, & illuminat omnem hominem, & in luce propria contemplare, prepara aures tuas ad audiendum verbum aeternum, sine quo omnis lingua obmutescit, excita saporem tuum, ut sapiat tibi panis Angelorum, manna verum: nares tuas expurga, ut illo incomparabili lilio paradisi, iam suauissime odorante fruaris: tactum tuum sensifica, ut deliciosissimi sponsi tui complexibus & osculis satieris: quia hic est, a quo est quicquid est, a quo bonum, immo qui solus est bonus, qui solus est omne bonum, ad hunc erigi te, hunc contemplare, in hunc tota meditatione exardesce, & dic.

Suauitas suauitatum & omnis suauitas Domine Deus meus, rex meus, pater meus, virtus mea, honor meus, potestas mea, vita mea, dulcedo mea sancta, summe, optime, omnipotentissime misericordissime & infatigabile, secretissime, & presentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis, immutabilis mutans omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia. Deus lumen cordis mei, & panis vehementer reficiens gustum anime meae, & virtus maritans mentem meam & finem cogitationis meae, amator dulcissime, amabilis valde super omnes amores conforta me querentem te, ut querendo inueniam te, inueniendo laudem te, laudatum te teneam, nec dimittam, nec amittam, donec tota in te communitur, & absorbeatur a spiritu tuo, & spiritus vnus tecum efficiat, ut verè incipiam viuere iam non ego, viuat verò in me virtus tua: in quotanquam in fonte viuo, sum, & verè viuunt vita, delicia, decus, solertia, regnum, virtus, victoria. O dulcis Deus, pulchrorum omnium lumen verum, lumen solum, in quo tenebrae non sunt, lux creatrix omnium luminum, a cuius luce lucent ea quae lucent, in cuius comparatione etiam lucidissima Cherubim non lucent, ardentissima Seraphim non ardent: quia o lucidissime, clarissime, pulcherrime, formosissime, speciosissime tu solus es, habens haec omnia, sed non aliunde accipiens, & in te tanquam in fonte clarissimo scaturit incomprehensibilis lucis tua, lucis diuina, lucis quae non est aliud quam tu, quia tu non aliena luce, sed tua propria luce lucet, immo et ipso lucet, lucis, tuae radios, quae sine mensura lucent in te, secundum sapientiam benignitatis tuae in alios quosq; pro mensura suae capacitatis effundis.

O ignis ardentissime, lucidissime, inuid, o ardor & lux, omnis ardoris & lucis principium, Deus meus, charitas ardens & lucens, accende & illumina me. Illumina ut cognoscam, accende

LIII

accede vt amem te. Cognoscam te cognitor meus, cognoscam te, sicut & à te cognitus sum. Amem te & pulchritudo mea Deus meus, amem te licet sero, sicut & à te amatus sum. Immitte in cor meum scintillas ignis tui Deus meus, vt illuminentur interiores oculi mei, ad videndum pulchritudinem tuam in te. Libet de ignis tui ignitissimo fonte te ignem desiderabile haurire, vt de te ipso igne vero, Deo meo & illuminer & inardescam.

Vti amans anima contempletur Dei perfectiones gloriãq; creaturarum omnium: perfectiones & gloriã in immensum excellere.

CAPVT XVI.

Quid autem sunt creaturæ tuæ in conspectu tuo? Ardent ignita Seraphim, sed ignita sunt, non ignis: ardentia sunt, sed accensa accendunt & ipsa alios, sed non ex se: immò verò ex eo per quem ardent, & qui ardet in ipsis. Quid enim
1. Cor. 4. habent etiam ipsa quod non acceperunt? Licet enim plena sint ardoris & charitatis, ipsum tamen ardorem, ipsam charitatem de fonte ardoris & charitatis, quæ Deus est, acceperunt.

O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus, accensor ardentium Seraphim Deus meus, accende me Deus meus pulcherrime, qui decorem & confessionem induisti, amictus lumine sicut vestimèto, qui facis ministros tuos ignem vrentem, vrè & exure me, vt conuertar in te. O lux vera, lux sola, lux optima Deus meus illumina me. Quid enim sunt creaturæ illuminatæ comparatæ tibi?
Psal. 103
Hic. 1

Lucent quidem luminosa Cherubim, sed illuminata sunt, non ipsa sunt lumen, nec sibi vsurpant illius primi, & incircumscripti, & inaccessibilis luminis claritatè, sed semper respiciunt ad te Deus meus, lumen verum, fontem luminis, & se administratarios spiritus esse profitentur.

Illuminant & ipsa alios, non tamen ex se, sed ex illo, qui lucet in ipsis. Ministri enim sunt luminis & sapientiæ, non magistri. Ministrant enim alijs quod ipsi excellentius acceperunt à te magister sapientissime, fons sapientiæ, vera & sola sapiëntia, non magistrerij, sed ministerij sibi tribuentes honorem, scientes nò in se, sed in Domino gloriari, quia vnus est magister eorum in cælis tu doctissime Deus meus.

Quam pulcher ergo es, & quam decorus dilecte mi, O quam pulcher es, quam
Cant. 1
Ecl. 05
Psal. 25
Psal. 66
1. Co. 13
mnino formosus in stola tua, id est, in indeficienti gloria tua, quam vere speciosus in delicijs tuis. Quis mihi det videre faciem tuam, & peruidere: quis mihi det intueri vultum festiue claritatis tuæ, vultum solarem, lunã & stellas pariter obfuscant?
Tibi, tibi dixit cor meum: Exquisiuit te facies mea, faciem tuã formosissime Domine requiram: ne auertas eam quæ lo à me, sed misericordissime omnium, miserere & benedic mihi, illumina vultum tuum super me in me, vt videns Dominum facie ad faciem, saluam fieri sentiam animam meam, & verè fiat mihi romen Iſraël, quod est videns Deum.

O si iam daretur salutarem hanc faciem intueri. O si iam mihi non per speculum & in enigmate, non in fantasijs similitudinum, sed veritatem ipsam in veritate liceat contemplari. Putasne hoc aliquando eueniet? Quando autem veniet? Longissima est omnis mora, quantumcunque parua. Veni Domine Deus meus, veni & ne sarctis venire, ne differas apparere, vt iam videam te in te.